

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Cap. XIII. De fide

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

possit, Joh. 15. vers. 26. Et. 30. vers. 20. cap. 41. vers. 17.

4. *Amaras aquas in dulces convertendo.* Aquei enim vapores & aqua marina in nube collecta dulcis efficitur: Ita aqua pœnitentiæ dulcis redditur in justitiæ nostræ nube illâ gratiosissimâ, Christo Jesu.

5. *Lumen præbendo.* Nubes enim lucidæ lucem præ se ferunt: Ita Christus non est opaca Mosis nubes, Exod. 19. v. 9. sed lucida, accendens veram in cordibus nostris lætitiâ, & justitiæ suæ fulgidissimam jubar ita temperans, ut sub ejus præsidio tuti quiescamus, Conf. supr. c. 3. all. 30.

CAP. XIII.

DE FIDE.

FIDES

1241. *Est columna ignis ducens nos per desertum mundi,* Exod. 13. v. 21. è tenebris nostræ ignorantæ, inter nos, nostrosque hostes discriminans.

2. *Noctu lucebat:* Ita Fides nobis lucet in nocte hujus vitæ ut Nehem. 9. v. 19. Ita fides nobis lucem præbet in via vitæ nostræ ambulantiibus: *Sine fide enim omnia plena sunt erroribus & tenebris.*

FIDES EST FUNICULUS.

1242. Jer. 31. v. 3. *Ex mera bonitate te attraxi ad me.* At gravia attrahimus: *Graves autem fumus naturæ nostræ pondere & vitiis, quæ supra capita nostra transeunt,* Pl. 38. v. 5. quæ gravis Dei manus premit, Pl. 32. v. 4. & quæ in profundum damnationis nos demergunt, & variarum calamitatum, Thren. I. v. 14. Pl. 130.

Mm

VJ.

verf. 1. Deus nos extrahit dextrâ suâ, *per fidei funiculum*. Hujus beneficio ex manibus hostium elabimur, qui nos in hoc mundo velut Jericho captivos tenere gestiunt, quemadmodum exploratores per funiculum hostium manibus elapsi sunt, Jos. 2. verf. 15. Ita nos funiculo fidei. Simfon funes Philistæorum rumpit, Jud. 16. v. 9. Fidei funiculum Deus non rumpit, sed se ligat eodem, Ose. 2. v. 19. tenetur, ne abeat, Gen. 32. v. 26. ut è vitæ calamitoso lacu tandem nos, ut Jerem. cap. 38. v. 13. educat. Hoc dilectionis & fidei funiculo, Ose. 11. v. 4. Deus non ducit ad filium dilectum suum, ex mera bonitate.

FIDES EST FUNICULUS RAHAB,

Josua. 2.

1243. 1. Ut funis ex multis filis conflatur: Ita fides in Christi sanguine rubet, qui antea in peccatis rubebamus, Es. 1. v. 18. conflata ex tribus filis:

1. Notitiæ, Joh. 17. v. 3.
2. Assensus, Marc. 9. v. 24.
3. Fiduciæ, 2. Tim. 2. v. 12.

2. Funis erat *rubicundus*: Ita nostra fides in Christi sanguine rubet, qui antea in peccatis rubebamus, Es. 1. verf. 18.

2. In fenestra exponebatur funis Rahab: Ita fidei funiculum in fenestra exponendus est; fenestra cordis nostri, Actor. 15. v. 9.

4. Josua ex funiculo judicabat de Rahab: Ita ex operibus de te in judicio judicabit, non propter fructus opera nimirum, sed fidem, arborem, qua caruisti, ideoque nec bonos fructus protulisti.

5. Nemo servabatur, nisi qui in adibus funiculo

nota-

notaris latebat: Ita veniente Josua nostro vero, Heb. 4. v. 8. nemo servabitur, nisi, qui in ipsius domo, hoc est, Ecclesia, 1. Tim. 3. v. 16. quam fidei funiculo novit, reperietur. Qui non credit, jam judicatus est, Joh. 3. v. 18. 2. Thess. 1. v. 8. flammis comparebit, ut ulciscatur inobedientes.

FIDES

1244. *Est lampas*. Oleò divinæ misericordiæ & amoris, Cant. 8. v. 6. *ardens*. Hâc spirituales hostes, lex, peccatum, abiguntur, ut Jud. 7. v. 20. sponsus Christus excipitur, Matth. 25. v. 1.

2. In tenebricoso loco splendens nobis, fides nostra lampas: nihil nisi vana & temporalia videmus: Lucet nobis fidei lampas in alteram vitam.

3. Lampas non suspenditur in loco domûs inferiore, sed excelsa: Ita fidei lampadem in corde nostro suspendit Christus, A ct. 15. v. 9.

FIDES EST HYSSOPUS

1245. *Sanguini Christi inungenda*, quâ à Deo aspergimur, mundamur, quia ipse fidem ad justitiam impunit, Rom. 4. v. 4. Hyssopus est herba brevis, parva, crescens in radicibus petrae, curans pectoris varias affectiones: Ita fides parva, brevis, crescit in radicibus petrae Christi, cordi tutissimum medicamen, Rom. 5. v. 1. Psal. 94. v. 19. 1. Joh. 3. v. 20.

2. *Fasciculo hyssopi, sanguine agni imbuto, superliminaria tangebant Israelitæ*: Ita fides nostra Christi sanguine se tingit, cor nostrum imbuunt, angelum cordis abigit, Exod. 12. v. 22.

3. *Leprosi hyssopo aspergebantur*: Lev. 14. v. 6. in sanguinem avis mactatæ intincto. Fidei imago viva. Hôc hyssopô mundari se petebat, Psal. 51. v. 9. rex.

M m 2

4. Hyf-

4. Hyssopus calefacit: Hoc testantur Medici, Ægineta lib. 7. fol. 536. Ita fides vera ubi est, calefacit hominem ad amorem Dei & proximi, Gal. 5. v. 6. *Fides per charitatem efficax.*

5. Hyssopus exsiccat: Ita fides evacuat cor humiditate & amore rerum temporalium, Hebr. 11. v. 13. Exemplo Moïsi, v. 24.

6. Hyssopus crassos vapores corpore educit: Ita fides, ubi cor occupat, omnes vapores crassos educit; Hi vapores sunt desideria rerum terrenarum, quæ hominem gravant: Accedit fides, & tolluntur gravia quævis, hominisque cor ad Deum elevatur. De Hyssopo Methaphysico S. scriptura, Hebr. 11. per totum.

FIDES EST STELLA.

1246. *Magi ab oriente veniebant, ad verum orientem Christum, ducti stelle; Christus enim verus oriens est, Luc. 1. v. 78. Matth. 2. v. 2.*

Stella hæc fidem notare potest, quæ nos ducit à primo statim oriente vitæ ad verum orientem, Christum Jesum.

2. Fides est similis stellæ, quia non præcedit, sed sequitur Christum, ut verum objectum, (sicut stella sequitur solem,) Marc. 9. v. 23. 24.

3. Hæc fidei stella cælum Ecclesiæ ornat, sicut stella cælum: Vide Hebr. 11. ornatum hunc in exemplis credentium.

4. Fidei stella lucem præbet in nebulis nubibusque legis, solatium omne erepturis, & Christum monstrat. Monstrabat hanc fidei stellam discipulis suis Christus, Matth. 8. v. 26.

5. Fidei stella altissimum locum inter virtutes omnes habet, quia harum omnium regina est, Rom. 14. v. 23.

v. 23. *Quicquid non est ex fide, peccatum est*, Hebr. II. v. 6. *Impossibile est Deo placere absque fide.*

6. Fidei stella motum habet velocissimum, absentia & futura apprehendit, Rom. 4. vers. 18. seq. Hebr. II. vers. 1.

7. Fidei hæc scintilla aspectum habet parvum, sed ramen magna fatis in oculis Dei, Esa. 42. v. 3. *Linum fumigans non exstinguet.*

8. Radios per bona opera emittit hæc fidei stella: ubi non sunt hi radii, non est ibi vera stella fidei, Gal. 5. v. 6. *Fides per charitatem efficax.*

9. Fidei hæc stella noctem tristitiæ spiritualis discutit, Rom. 5. v. 1. *Justificati ex fide, pacem habemus.*

10. Fidei hæc stella nonnunquam lumen occultat, cum sit linum fumigans, Esa. 42. v. 3. & instar grani sinapis, Matth. 17. v. 20.

11. Fidei hæc stella portam cæli ostendit, navigantibus nobis in hoc mari, inter tentationum fluctus & undas crucis: Portus ille vita æterna est, quæ fidei finis, I. Pet. I. v. 9. *In illo portu exoneraturi malorum nostrorum omnium sentinam*, 2. Tim. 4. v. 8. *ineffabilem percepturi lætitiã*, I. Pet. I. v. 8.

FIDES EST

1247. *Signaculum, quò Christum super cor nostrum ponimus*, Cant. 8. v. 6. *Hòc signaculò Spiritus Sanctus nos designat. Hoc fidei signaculum characterem Christi dilectionis nobis imprimit. Est ergò fides signaculum,*

1. Amorem Christi, per fiduciam nobis imprimendo, Rom. 8. v. 38. 39.

2. Nos de amore hoc Dei certificando; sigillorum est nos certos reddere.

Mm 3

3. Au-

3. Autoritatem Dei ostendendo in cordibus nostris, 1. Joh. 5. v. 9.

FIDE CORAM TRIBUNALI CHRISTI
confistimus.

1248. *Manna die Sabbathi servata non putruit, reliquis servata diebus putruit, vermes generavit, Exod. 16. v. 20. Ita opus die æterni sabbathi manens est sola fides, Dei opus, Joh. 6. v. 29. Reliqua in die iudicii putrescunt, Solâ enim fide coram Deo stamus, Rom. 5. v. 2. fidei solùm fructibus stare poterimus,*

FIDES CHRISTUM TANGIT.

1249. *Nemo, nisi sanctificatus, hostiam propitiatori-
am tangere poterat, Lev. 6. v. 27. Hostia propitiatoria
vera solus Christus est, Joh. 1. v. 16. hanc qui tangere,
comedere voluerit, sanctificatus sit, necessum est, &
menstruatis peccatorum vestibus exutus. Sanctificatio
autem solida est per fidem; Fide corda nostra purifi-
cantur & sanctificantur, Act. 15. v. 9.*

POST FIDEM DEUS DAT
gratiam.

1250. *Israelita post egressum ex Ægypto viderunt
columnam ignis noctiu lucentem, Exod. 13. v. 21. Ita quan-
do ad Deum per fidem accessimus, ignem gratiæ divini
accensum videbimus, columnam illam igneam fidei
semper coruscantem.*

FIDES ET BONA OPERA
conjuncta.

1251. *Israelita ex matre, ex patre autem Ægyptius,
blasphemans nomen Domini, Domino ipso iudice, lapida-
tus est, Lev. 24. v. 13. Tales sunt Christiani, matrem ha-
ben-*

bentes ecclesiam. Gal. 4. verl. 24. patrem autem Ægyptium, hoc est Satanam, Joh. 8. v. 44. qui male uovendo nomen Domini blasphemant. Igitur suppliciiis iisdem, nisi respiscant, vivi mortuique mactandi sunt, *Israelita ut edificaturi Hierusalem una manu arma tenebant, altera operabantur.* Nehem. 4. v. 17. Ita una manu arma fidei, altera opera charitatis tenenda sunt, si Jerusalem rectè ædificari debet.

FIDES IGNI PROBATUR.

1252. *Frixum sacrificium* Lev. 6. verl. 21. Dominus offerri præceperat. Hoc notat fidem victimam illam, sine qua nulla placet victima, Rom. 14. v. ult. sed fidem igni tribulationis frixam & probatam, 1. Petr. 1. v. 6. 7.

FIDES OPERIBUS ORNATA.

1253. *Simson ornatus capillis, robore pollebat*, Jud. 16. Fides est animæ robur internum (sine fide etenim anima nihil aliud est, quam arundo vagabunda) opera sunt capilli, quibus ea ornatur: latet enim fides in corde, sed patet in opere Gal. 5. v. 6. His ergo de tonsis velut operum capillis etiam ipsum fidei robur deficit: impossibile namque est fidem ab operibus segregari.

Ovis cum vellere Deo offerenda erat, Deut. 15. v. 19. Ovis est fides, quæ in ovem Christum fertur. Fides enim Christum, ovem illam, Joh. 1. v. 29. respicit: Vellus bona opera sunt, quibus fides exterius velut vestitur.

FIDES ET CHARITAS

conjungenda.

1254. Cant. 8. 6. *ponendus est Christus ut signaculum super cor*: Hoc fit, cum ex toto corde Christum diligimus, Ps. 18. 2. Et verâ fide ei adhæremus, & *ponendus est super brachiis*, cum omnia ad charitatem monstrandam

Mm 4

opera

operamur. (charitatis enim operationem brachium notat.) quod ipse tam serio præcepit, Joh. 13. v. 15. Itaque si Christus cordi tuo impressit fidei signaculum, non cesset in te charitatis erga proximum operantis brachium. Ita utrumque jungimus, & fidei signaculum & charitatis exercitium. Increpet te Dominus, Satan, quisquis nos bona opera fastidire, cum Papolaris, calumniaris!

FIDES NON OTIOSA.

1255. *Sicut nec animalia Ezechielis quiescebant, sed in similitudinem fulguris coruscantis properabant, Ezech. 1.* Ita quoque fides semper per charitatis fulgur lucemque efficax est, Gal. 5. v. 6.

FIDES SINE CHARITATE.

1256. 1. Cor. 13. v. 1. Comparatur ad æs resonans.

1. *Ob simulationem coloris.* Æs argentum imitatur colore, & tamen non est argentum: Ita fides infrugifera imitatur colore veram fidem, quæ tamen non est: hanc contra Jacobus 2. cap. Epist. disputat.

2. *Ob simulationem soni.* Imitatur enim æs sonum argenti: Ita fides infrugifera imitatur sonum argenti, hoc est, virtutis, charitatis. Quomodo verò sonum imitatur? nempe jactando fidem & pietatem, utriusque tamen fructum negando, 2. Tim. 3. v. 5.

3. *Ob irrationalitatem.* Æs tinniens solum hypocrita est, Fidem enim jactitat, quam ipse non intelligit, fructibus ornata esse oportere, Jacob. 2. cap.

4. *Ob commixtionem.* Sicut enim æs commixtum aliis metallis colorem mutat, Isiod. Ita hypocritica fides fidei colorem jactitat, cum sub specie saltem latet, 2. Tim. 3. v. 5. Tit. 1. v. 16.

5. Ob

§. *Ob comparationem. Jerobeam*, ærea scuta pro aureis fecit, 1. Reg. 14. v. 27. nam Sisak aurea abstulerat: Ita Satanas ex hypocritarum cordibus aureum fidei scutum evellit, & æreum solum relinquit, hoc est, fidem absque charitate. Bel Babyloniorum forinsecus erat æreus, intrinsecus luteus: Ita extrinsecus hypocritæ splendent ærei, intrinsecus habent lutum malitiæ & mendacii, Dan. 14. v. 6.

FIDES EST GRANUM

sinapis.

1257. Matth. 17. v. 20. *Si fuerit fides, sicut granum sinapis.* Grano sinapis comparatur

1. *Ob exilem ortum, cum specie sui parvum est*, vile, despectum, nec saporem, nec odorem præstat: Ita fides exiguum habet ortum, nec semper præstat odorem suavitatis Domini, nec suavitatem gratiæ Christi, sed quandoque linum fumigans est.

2. *Ob multiplicem utilitatem.* Sinapi calefacit: Ita fides facit cor nostrum amore Dei & proximi incallescere; Fides enim per charitatem efficax est, Gal. 5. vers. 6.

Fidei sinapi purgat quoque: Nam ubi vera fides, ibi peccatorum sordes expurgantur; Unde Jacob. c. 2. vers. 18. *Ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Fides quoque purgat oculos mentis nostræ, ut illuminati sint, Ephes. 1. vers. 18. cerebrum & sic intellectum, ut novæ cognitionis lumine imbuatur. Sinapi quoque multis mederi morbis, autores sunt medici: Fidei spirituale sinapi multis animæ, imò omnibus morbis spiritualibus medetur, cum apprehendit omnis morbi spiritualis medicum Christum, Exod. 15. vers. ult. Matth. 2. vers. 12.

Mm 5

4. Ob

4. *Ob multiplicationem.* Sinapi tandem longe lateque multiplicatur: Ita fides à se plurimos ramos diffundit, crescit & augmentatur: Ex fide namque velut matrice omnes pietatis fructus, Galat. 5. v. 20. 21. seq.

FIDES EST OCULUS dexter.

1258. *Quem Nahas Gileaditis eruere minabatur,* 1. Sam. 11. vers. 2. Ita Satanas fidei oculum dextrum satagit eruere, quò salutariter Christum intuemur: Scilicet hoc agit infernalis ille serpens, ut erutò hoc fidei oculò, non intueamur exaltatum serpentem, Joh. 3. vers. 14.

FIDES EST OCULUS TOTIUS hominis.

1259. Matth. 7. v. 22. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Lucerna & oculus ille hominis fides est, quæ totum hominem lucidum reddit, semper lucem & ducem Christum ostendit, Psalm. 27. vers. 1. *Dominus est lux mea*, hæc fidei lucerna præbet *lucem cognitionis*, quia facit hominem spiritualiter dijudicare, 1. Corinth. 2. *lucem consolationis*, quando pii in tenebris crucis Deo innixi, semper vident sibi lucem oriri. In hac lucerna ipse Christus *lux* est, Spiritus S. & *oleum* & *lucifer*, *linum* hujus lucernæ sunt omnes res credendæ.

FIDES EST LAPIS.

1260. *Israelita 12. lapides ex Jordanis medio sumpserunt,* Jos. 4. v. 8. Illi lapides figura sunt fidei, quæ ex *Jordane baptismatis* defumitur & ex eadem altare in cordibus nostris exædificatur, in quo omnis generis victimas gratas Deo offerre possumus: Fide enim sola Deo pla-

placemus. In hoc fidei altari qui non offert victimas suas, Deo placere non potest, Rom. 14. v. ult. Hic fidei lapis immobilis est, quia super petram CHRISTUM fundatus est, I. Cor. 3. v. II. Matth. 16. v. 18.

FIDEI TRES GRADUS.

1261. *Trium temporis circumstantiarum meminerunt Evangelista, qua mulierculæ Christum uncturæ ad sepulchrum ejusdem perrexerunt.*

1. Tenebrarum, Joh. 20. v. 1.

2. Diluculi, Luc. 24. v. 1.

3. Orti jam solis, Marc. 16. v. 2. Ita triplex fidei gradus.

1. *Tenebrarum*, quando adhuc lux fidei latet, nullos radios emittit. Tales fidei tenebras sentiebat pater Lunatici illius, Marc. 9. v. 24. idè à sole vero Christo Jesu tenebras fiduciæ suæ modicæ illuminari cupiebat, dicens: *Credo Domine, sed tu succurre incredulitati meæ.*

2. *Diluculi*, cum quædam lux apparet, sed adhuc tenebris τῆς ἀληθοῦς ἰσχύος velut permixta. Tale fidei diluculum erat in Apostolis, mari periclitantibus, Matth. 8. v. 25. 26. Accessit ergò sol Christus, & plenâ auxiliî luce discipulorum fidem formavit, tenebras fugavit. Eiusmodi fidei diluculum est in tentationibus omnium piorum, Ps. 18. v. 4. ubi fides & dubitatio dimicant.

Orti jam plenè solis, & jubare suo totam animam illustrantis. Gradus priores duos fidei quotidie experimur: tertium in hac vita optare licet, plenè & perfectè impetrare non licet: Ut enim vita nostra abscondita est, Coloss. 3. versic. 3. 1. Johan. 3. versic. 2. Ita & fides nostra adhuc latet, nec pleno lumine radiat. Hinc

Hinc Apostolus Rom. 8. v. 24. *Spe salvi facti sumus*, quasi dicat: Lux fidei nondum plenè lucet; speratis ergò, quod nondum fide plenà videtis.

FIDES EST OCULUS, QUO DEUM respicimus.

1262. Cant. 4. v. 9. *Vulnerasti cor meum in uno oculo meo.*

1. Quis ille oculus, nisi fides? ad quam solus Dei respicit oculus, Jerem. 5. v. 3.

2. Hòc fidei oculò cor Domini vulneratur, ut nostri misereatur, Jerem. 31. v. 20. *Conturbata sunt viscera mea*, Oseæ 11. v. 8. *conversum est cor meum.*

3. Fides itaque sagitta illa est, quæ cor Christi vulnerat, ut tuum cor vivifici sanguinis, Joh. 6. v. 54. imbre irriget. Sanguis enim ejus est in N. Testamento, Testamentum autem est in fide. Hanc sagittandi artem didicerat pater Lunatici, Marc. 9. v. 24. ferit Christum petram, & fidei robur suæ acquisivit. Accedamus ergò fidei oculò ad Christum & ejus cor vulneremus, vulneribus ipsius salvandi, Esa. 53. v. 5.

FIDES EST SIGILLUM.

1263. Joh. 3. vers. 33. *Quisquis accipit testimonium Christi, ille obsignat, Deum veracem esse.* Fides ergo est sigillum, quò sibi ipsis credentes, per Spiritum Sanctum obsignant veritatem Dei, cui fides innititur: quemadmodum qui sigillo aliquid munit, hoc ipsum verum esse testatur: Hoc fidei sigillum ad vivum expressit Abraham in oblatione Isaaci, Rom. 4. in credentium scilicet exemplum. Hoc fidei sigillum conscientiam maximè certam reddit. Rom. 8, 38. *Certus sum, quòd, &c. Scio, cui credidi*, 2. Tim. 1. v. 12. Hoc fidei sigillum certificans nos, adulterant Papolatræ, docentes, neminem

minem de sua salute, in individuo, certum esse posse, nostramque fidem præsumptuosam vocant. Garrant illi, nos tenebimus fidei sigillum; accipiendo testimonium Christi, obsignabimus, Deum verum esse; Imò, ô Deus obsigna nos fidei signaculo!

FIDES IN SACRIFICIIS

adumbrata.

1264. Ritus duplex adhibebatur in sacrificiis *Movenda & Levanda*. Passim in Lev. Levanda erat ritus; quò hostia sursum elevabatur. *Movenda*, quâ ante, post, dextrorsum, sinistrorsum. D. Brent. in Levit. Fides præsignificata, quæ in altum se tollit, futura invisibilia sperando, Hebr. II. v. I. Movetur autem eadem, cum in tentationibus & cruce exercetur, cum hostibus spiritualibus undiquaque conflictatur, 1. Pet. I. v. 6. D. Lutherus in vernacula tralatione reddidit: *Hebe & Webe.*

FIDES EST VISIO OMNIA IMPETRANS

à Deo: Fidelis, sicut arbor.

1265. I. 2. Reg. 2. v. 10. *Si videris me, quando tol- lar à te, erit quod petisti.* Vox Elix ad Elisæum. Christus Elias noster à nobis juxta visibilem præsentiam sublatus est. (visibilem dico: invisibilem enim juxta præsentiam modum adhuc nobis adest, Matth. 28. v. 20. Apoc. I. v. 13.) At si hunc viderimus verà fide, omnia impetrabimus, quæ petimus: Fides enim ipsius *invincibilis* victrix. Fidei omnia possibilia sunt.

4. Psalm. I. v. 3. *Pius erit, sicut arbor ad rivus aquarum.* Fides est beatus ille vivus, ad quem omnes pii plantantur.

5. *Ob derivationem.* Rivus ex fonte vel fluvio derivatur:

rivatur: Ita fides ex fonte divinæ misericordiæ, ex flu-
vio bonitatis inexhaustæ. Fides Dei donum est, ori-
ens ex prædicatione verbi, Rom. 10. v. 17. Luc. 24. v. 47.
Omnis ergò fidei origo est à Deo, Phil. 1. v. 6. & v. 19.
revelante nobis, non carne nostrâ, Matth. 16. v. 17.
quippe cum non simus idonei ex nobis, 2. Cor. 3. v. 5.
sed Deus efficit, Phil. 2. v. 13. trahit, Joh. 6. v. 44. docet,
ibid. vers. 45. detegit, Matth. 11. v. 25. Deus ergò fidei,
rivi illius, fons est: quoniam sancti, intelligentes hunc
fidei rivum in se non fluere pleno agmine, hoc est,
robustam esse, accesserunt suis precibus ad Deum ve-
rum fontem fidei. Ita Lunatici pater, Marc. 9. vers. 24.
discipuli, Luc. 17. v. 5. exemplo quoque Pauli, Phil. 1. v. 6.
2. Thess. 1. v. II. & v. 3.

2. *Ob purgationem.* Rivus purgat immunditias:
Animæ nostræ sordes fidei rivus extergit, Act. 15. v. 9.
Fide corda purificans.

3. *Ob sæcundationem.* Rivus terram sæcundat.
Cordis nostri terram rivus fidei fertilem reddit: Fides
per charitatem efficax est, Galat. 5. v. 6.

4. *Ob potationem.* Rivus potum ministrat: Ani-
mæ potus est in fidei rivo limpidissimo. Psal. 42. Sitivit
anima mea ad te Deus: Hunc rivum promisit Domi-
nus, Esa. 41. v. 17. cap. 30. v. 20.

5. *Ob irrigationem.* Rivus plantas irrigat, florescere
facit. Plantas spirituales Dei irrigat, & florentes reddit
fidei rivus, vigorem & pulchritudinem in eis con-
servat.

6. *Ob mysticam applicationem.* Hic fidei rivus sup-
peditat mysticas significationes.

1. Syr. 24. v. 40. *Ex sapientia multi fluunt rivus:* Ex
Christo, verâ sapientiâ, omnes fluunt fidei rivus, in
Christo se exonerant iidem rivuli, sicut ex mari omnes
fluvii

fluvii, & in mare rursus tendunt: Hi fidei rivi tandem magna flumina evadunt.

2. Pii omnes sunt *rose plantate* ad hunc fidei rivum Syr. 39. v. 17.

3. Judic. 5. v. 21. Psal. 83. v. 10. *Rivus Kischonis* evertit inimicos Israëlitarum: Ita fidei rivus omnes inimicos evertit & velut

————— rapidâ vertigine mergit.

Fides enim nostra mundum vincit, 1. Joh. 5. vers. 4. in quo omnes nostri inimici.

4. Hic fidei rivus est, qui nobis fluit in deserto hujus mundi, ut Israëlitis, Psal. 105. v. 41. ex vera petra Christo, Psal. 78. v. 16. aureus rivus, quem non exsiccabit æstus crucis, Job. 22. v. 24.

Hic fidei rivus *semper nobis sit solatio contra terrentes illos Belialis torrentes*, Psal. 18. v. 5.

FIDES EST CHRISTI

intuitus.

1266. Num. 21. v. 9. *Ieli à serpentibus, anenum intuebantur serpentem.* Imago fidei, qui in Christum fertur pro nobis exaltatum, ut sanaret, nosque ad se traheret, Joh. 3. v. 14.

FIDES EST ARBOR VITÆ.

1267. Habac. 2. v. 4. *Iustus sua fide vivit.* Ergo fides arbor quædam vitæ est, quâ vivimus in hoc mundi exilio (Dei, ei adhærendo, & proximo eidem serviendo, Gal. 5. v. 6 1. Tim. 1. v. 5.) paradiso expulsi. Nutrementum huic arbori porrigit dulcis *illa radix Jesse*, Roman. 11. *Succi participes facti sumus in oliva.*

Oliva Christus, ex qua nos succum fidei habemus.

CAP.